

ræ litaret. Hinc etiam est, quod
facilis adeo ad seditiones incitaretur,
ad cædes Imperatorum ducumq̄. Et
quis nescit servilia ista bella, quibus
non parum resp: fuerat concussa,
hinc exarsisse? gladiatoribus potius
quasi justo bello mori optantibus,
quam in arena oculos crudelium
spectatorum sanguine suo pascere.
Equidem Augustus nocivâ callidi-
tate Romanis usum armorum ade-
mit, otium illis & spectacula relin-
quens: mansit nihilominus diritas
animorum, postquâ justo Dei iudicio
eamdem immanitatem a barbarorū
irruptionibus experta est, quam
antea in illos exercuerat.



Q. F. S. S. Q. S. N.
CONATUS PHILOSOPHICUS
EXHIBENS

VERITATEM COMMUNEM.

QVEM

Consensu & voluntate Amplissimi, in
Reg. Academia Vpsal: ordinis
Philosophici;

SVB

DIRECTIONE

VIRI CELEBERRIMI

D. JOANNIS WYBERG

Geometr. Professoris Regii

Candide Philosophantium censuræ
qua decet animi modestia

submitis

DANIEL BRAUNER

CALMARIENSIS

In Auditorio Vet. Majori ad d. VII Junii
Anni M. DC. LXXXIX.

UPSALÆ

Excudit HENRICVS CVRIO S: R: M:
© Acad. Vps: Bibliop:

S.^e R.^e M.^{tie}
VIRO FIDELISSIMO
NOBILISSIMO ac CONSULTISSIMO
DOMINO

D^N. SYLVESTRO
PHRYGIO,

Summi, quod Holmiæ est, Dicasterii
Regii

ADSESSORI

Avunculo benignissimo, Optimo.

Nescio profecto, Nobilissime
atque Consultissime Domine, fretum ne
Tua facilitate, an eadem me abusum
quissiam dixerit, quod huc usque nullam
pietatis ac venerationis in Te mea notam
ostendere potui: id nunc quoque totus mi-
hi displiceo succenseoque; neque immeri-
to. Verum, multi etiam in divinis ta-
cite operantur; quorum mens sepe nume-
ro magis pia est, quam qui vel disertis-
simas effundunt preces. Tacitam enim
animorum venerationem aestimare multum
convenit; nec qui loquentior est, omnia
eo prolixiori quoque animo prosequitur.
Mortales namque reperire per plurimos in-
facili est, aliud in pectore clausum, prom-

tum aliud in Lingua gerentes, Vultum
que magis quam Ingenium habentes bonum.
Faciet proinde veneratio muta officium; cla-
rius licet svarijsq; qua in verba erumpit.
Si quid igitur haecenus commisi, sponte de-
precor, simul & emendo corrigoq;. Veniam
autem, spero, dabis, quod in Te ex
aequo & summam virtutem & summam
humanitatem omnes, quotquot propius no-
verunt, fuerunt experti. Cujus tantam
ego habeo fiduciam, ut vel novum jam
beneficium petere sustineam; id est, ut pa-
gellas hasce rudes exiguasque valde, nec
dignas satis, quibus Tuum praefigerem no-
men, utpote observantiae indices, laeta se-
renaque fronte accipias; meque ut clien-

tem Tibi quam commendatissimum habeas,
Hoc est, quod iterum atque iterum oro
obsecroque, qui spem meam solito Tuo fa-
vori tutelaque prolixè committo. Vale.

Nobiliss: & Ampliss: Nominis Tui

Cultor observantissimus

DANIEL BRAUNER

Adis

pag. 1.

Adis o IESU!

Ἐπὶ Θεῶν καὶ παντὸς ἀρχοῦ μόνον αἰεὶ
λέγειν καὶ νοεῖν. Plato.

Thesis I.



Amiliarius certe nihil est,
nec usu magis receptum,
quam Philosophos inter
se dissentientes invenire,
qui veritatem ad cogita-
tionem humanam examinant, ipsamque
velut normam & mensuram omnis ve-
ritatis habent; ita ut, quidquid evidē-
ter & distincte concipitur, verum, fir-
mum, ac ratum pronuncietur. Recta
equidem hæc est veritatem indagandi se-
mita: tamen lubrica dubiaq; valde pro-
bandi ratio, si certo nobis non constet,
de supremo Numine, omnium utpote
rerum, adeoque ipsius etiam veritatis
fonte ac origine, ejusque in nos opti-
ma ac constanti voluntate. Ac ne sacris
quidem oraculis ulla fides haberetur, si

A

de

de Dei existentia & operationibus esse-
 mus incerti. Omnes quoque proposi-
 tiones Mathematicæ, quamvis tantæ sint
 evidentia ac perspicuitatis, ut, dum o-
 culos ad earum demonstrationes cura-
 tiori inspectione advertimus, non possi-
 mus non, volentes nolentes, assensum
 ipsis præbere; interim tamen, quoniam
 valde fluctuantes sumus, nec diu in una
 eademque re mentem habemus defixam,
 ipsatque quasi per nebulam intuemur,
 facillimo negotio illarum oblivisci pote-
 rit mens; adeoque si non plane negare,
 saltem de earum certitudine apud semet
 dubitare, si nulla veri Dei vera cognitio
 habeatur; nec qualis sit hujus universi
 Auctor, percipiatur. Quam ob causam,
 magnus ille hujus seculi Philosophus Re-
 natus des Cartes in Meditatione quinta
 dicit: Etsi ejus sim naturæ, ut nõ pos-
 sim obtutum mentis in eandem rem
 semper defigere, ad illam clare percipien-
 dam, recurratque sæpe memoria judi-
 cii antea facti, cum non amplius atten-
 do ad rationes, propter quas tale quid
 judicavi; rationes aliæ afferri possunt,
 quæ

quæ me, si Deum ignorarem, facile ab
 opinione dejicerent; atque ita de nulla
 unquam re, veram ac certam sententiã,
 sed vagas tantum, & mutabiles opinio-
 nes haberem, &c. In veritatis itaque
 inquisitione curatiore, rectius dubitatio-
 nem diluamus, si inter innumeras, quas
 mens ex se depromere potest ideas, sum-
 mi Numinis ideam in primis, sufficien-
 te animi attentione, expendamus; ap-
 parebit enim Deum, sub conceptu En-
 tis venire perfectissimi, infiniti, æ-
 terni, omnipotentis, a se ipso existen-
 tis, & quo melius ac majus ens cogita-
 ri non poterit; adeo ut ex sola naturæ
 divinæ consideratione, non possibilem
 & contingentem tantum, quemadmo-
 dum ex aliarum rerum ideis, sed æter-
 nam & omnino necessariam ejus exi-
 stentiam probare liceat. Hinc etiam
 maxime clarum est, eum, qui omni-
 bus cogitabilibus gaudet perfectionibus,
 & nullis plane subjectus est defectibus,
 hoc ipsum quoque habere, quod sit
 summe verax, a cujus proinde natura
 abhorret, ut aliquem decipiat fallatve.

Qua ex re deinde inferre licebit, nullam nos rem, nullum objectum concipere, quod non sit verum, quatenus a nobis, hoc est, facultate quam nobis dedit Deus, clare distincteque percipitur. Nihil enim impossibile, inquit DE LA FORGE. possumus concipere, si vocem eam ad solas res restringimus, quas clare & distincte percipimus. Quoniam vero argumentum hocce, de veritate communi, spinis sat multis obsitum, nec ingenii nostri viribus, utpote valde exiguis, adeo obvium, tractandum nobis sumimus; ad Te, Lector benigne, confugere necessum prorsus ducimus, officiose rogantes, quæ hic breviter simpliciterque admodum sunt congesta, neque ad amussim composita, pro favore solito in meliora interpreteris.

Th. II.

In ipso dissertatiunculæ hujus limine statim indicasse haud pigebit, quid nomine veritatis denotatum velimus, ut quæ deinceps sumus dicturi, tanto facilius cuique innotescant. Per veritatem igitur hic intelligimus, non quamvis in ore sermoneque nostro existen-

tem, verum ipsis in rebus, abique ullo ullius conceptu considerandam; unica namque in ipsis rebus est veritas, illarum, nimirum ad mentem divinam conformitas, sive de iis homines cogitent, sive non: cum nulla possit esse falsitas, nisi ad mentem humanam relata; quando id falso iudicat esse, quod non est. Neque complexam, seu, ut aliis placet, axiomaticam, vel dianoëticam, quæ præter simplicem rei conceptum seu sensum ipsum, ipsam etiam affirmationem vel negationem includit; sed incomplexam seu noëticam, hoc est, simplicem cujusque rei ideam, naturam, & essentiam, hæc enim Philosophis sūt æquipollentia, qua simplici notionem, cujusque rei idea dicitur vera: verbi gratia, idea veri Dei, veræ mentis, veræ extensionis seu spatii, veri argenti, veri circuli vocatur, quæ veritas nomine Veritatis communis insignitur.

Thef. III.

Ostenso jam quid per veritatem hic significari voluimus, demonstrato simul etiam ideas simplices semper esse veras,

cum res quas repræsentant, aut de factò existant, aut minimum existere poterint eo modo, quo eas percipimus. Idea quippe simplex ac indivisa, cum nihil unquam aliud repræsentet, nisi unum tantum, idque essenziale attributum, nò potest profecto nò esse distincta & clara: obscuritatem enim & confusionem, quæ aliquando in compositis inveniuntur, hinc maxime originem trahere certum est, quod notiones & proprietates simul combinemus, quæ tamen nec possunt nec debent cõnecti DE LA FORE c. 10. th. 23. Ex hoc planum est, verum nos hic intelligere ac appellare, omne quod chimerico & plane ficto opponitur; quemadmodum Deum verum, hoc est, æternum ac infinitum a Diis factis fictitiisque discernimus, verum argentum a falso & adulterino, id est, quod non est, sed videtur tantum. Haud aliter ac Etymologici distinguunt inter veram vocis originem, & eam, quæ speciem tantum præ se fert veritatis, qualia sunt apud Latinos: Testamentum ex eo quod testatio sit mentis, Just. Instit. l. 2.

tit; 10. de test. ord: licet indolem ipsius rei ista derivatio non obscure significet, quum sit testamentum, juxta Jurisconsultos, nihil aliud, quam declaratio voluntatis nostræ circa successores in bona natura post mortem nostram. Puf. l. 4 c. 10. §. 3. I. N. G. Apud Græcos autem *πρωτη* pastor, quasi *cu m̄ m̄ q̄ m̄ uar*, quod in gramine maneat, cubetque, Autor Etyim: Mag: *πῆς* pes, à *πῆ* ubi, Harmarus in Etymol: necesse enim est, pes locum habeat, ubi se figat ac ponat. Hæc & hujus generis alia, primo licet intuitu, aliquam analogiam seu allusionem habere videantur, absolutam tamen certamque in se non continent veritatem.

Thef. IV.

Remotis iis, quæ nobis, circa ipsam veritatis vocem, impedimento esse existimabantur, tutiori confidentiorque animo, ad ipsam descriptionem (si nò adcuratam adeo definitionem) Philosophis passim usitatam, gradum promovere posse videmur. Varias igitur variorum definitiones hic adponere lubet, ut, quæ opti-

optima cuique videatur, quisque arripiat: Veritas cuiusque rei in eo posita est, quod cum sua convenit idea, quam mens (seu divina, seu humana) de ea habet. Seu, veritas est congruentia rei cum intellectu. Veritas est conformitas cognitionis cum rebus. Verum dicitur, quod conforme est intellectui; quod cum sua convenit definitione vel essentia. Hæ & innumeræ aliæ, in scriptis Philosophorum sparsim occurrētes, haud multum discrepant, quamvis aliæ aliis sint magis perspicuæ, tituloque definitionis digniores. Si in nobis esset situm, quidpiam hac de re exprimere, dignissimam sine dubio censeremus, quam primo loco posuimus.

Th. V.

Intellectus proinde, omnium rerū ideas habens, omnem etiam veritatem hausisse dici potest. Quod ipsum, modo quodam perfectissimo eminentissimoque, peragit intellectus divinus, qui rerum cunctarum ideas, actu semper possidens atque exercens, non unum sine alio, aut successive unum post aliud, sed

sed uno aspectu omnia simul contemplantur, idq; necessitate quadam suæ naturæ, quatenus a se est, sibi acquiescit, nec ulli alii originem debet suam: esse enim æternum, est principio & fine, seu partibus ab ante & post, imo successione quavis carere, nec ullum extra se agnoscere, a quo quidquam mutetur. Quo certe respectu, Aristoteles haud male adseruit, lib. xi. Metaph. c. 9. Deum nihil præter se ipsum intelligere, eo quod optimus sit: Nullo modo, quod supremum illud optimumque Numen, contemptum rerum suarum creaturarum, præ se ferat postponarve, (quemadmodum gentiles tenebris involuti sibi persvasere) sed quod oculis requirens nil quidquam extra se inveniat, quod nõ per ipsum & ad ipsum referatur, adeo ut propria sua sufficientia contentus, omnia quasi in se ipso & per se ipsum intueatur, rimetur.

Thef. VI.

Ad mentem humanam ejusque intellectum respicere si velimus, quam arctis utique cancellis limitatus sit, faciles re-
repe-

reperiemus. Homo enim, ut eas perfectissimum non est, nec ad omnia sibi sufficit, neque sponte sua habet, sive in se, sive extra se, omne quodcumque placet, cui iudicio subscribēs Theognis:

Οὐδὲ τῶ ἀνθρώπων ἀφάρθινετα, ὅσα ἐθέλη-
 ἰσθαι ἴδ καλεπῆς πείρατ' ἀμνησίνης. (σιν,

sed entis potius cuiusdam perfectioris effigiem seu umbram gerit; ita etiam non tam complementum omnium idearum, quam magis initium & potentiam quandam unā earum post aliā de se deprimendi possidet. Huic igitur suæ infirmitati ac imperfectioni, maximo cum labore conjunctæ, ut prospiciat consulatq; intellectus, aliam ingrediatur viam, alia media inquirat necesse est, quorum beneficio, in penitiorem rerum essentialiumq; cognitionem perveniat; quæ omnia cum statuta jam gaudeant natura ac veritate, mirari haud convenit, quod in ipsis, tanquam modo ac limitibus menti nostræ præscriptis, cognitis acquiescamus, quum a se non existens, sine iisdem esse non possit. Res autem cum multæ variæq; sint, hinc variæ quoque mul-

multæq; oriūtur ideæ, quarum unam post aliam per modum succedendi elicit; adeo ut huic modo cognoscendi a se facta mēs in rebus omnibus, compositis non tantum, verum etiam in se ipsa, & Ente simplicissimo ac semper eodem, Deo, multa sæpenumero non distinguenda distinguat, minimeque confundenda confundat.

Th. VII.

Cui itaque paulo adcuratori mentis indagine, ad hæc attendere molestum non fuerit, illi nec difficile erit animadvertere, unde tot profluunt errores, tot vitiosa seaturiant ratiocinia; quibus non emendatis, vel saltem haud deprehensis, veram sibi philosophandi viam rationemque, nullus promittere sustinebit. Hæc omnia, haud immerito quispiam affirmet, ex triplici potissimum radice pullulare; *multiplicatione nimirum entium præter necessitatem, idearum primitivarum confusione, nec non earundem improba eversione.* Ut fides nostræ affirmationi habeatur, sub uno alterove exemplo, hoc ipsum illustrare placet, unde reli-

reliquarum rerum facile notescet ratio. Scilicet, ab ineunte atate didicimus cogitationes nostras, a generali entis notatione instituere, nostrasque ideas verbis ita alligare, ut sapius ad verba magis attendamus, quam ad res ipsas, earumque naturam & essentiam ex pondere vocabulorum potius metiamur, quam ex interna ipsarum ratione. Hinc tot nova surrexisse entia nobis imaginamur, quot diversa audivimus nomina accidentium. Sed nec meliori successu, circa res hujus universi cognoscendas versati, corpus unumquodque, quatenus per se sensibus nostris obversatur, a corporibus vicinis sepositum, aliquo intervallo per se subsistere existimavimus, atque ita intervallis istis reipsa distingui: quo ipso quantum in nos, ex *una simplici, substantia corporea idea duplicem constituimus, unam corporis, intervalli seu spatii alteram*. Denique a natura ita sumus comparati, ut, cum uno modo nihil proficere videmur, alio nec meliore rem statim adgrediamur: sic quoque, cum bene subducta ratione, reperimus illud ipsum
re vera

re vera esse unum, quod duplex antea supposuimus, alterutrum istorum vel intellectum humanum fugere, vel ipsum nihil statuimus. Quemadmodum substantiam corporis ab extensione distinguentes, hac ratiocinandi methodo, contradictionibus sese involvunt. Juvat item, ad errorum causas detegendas ac illustrandas, ad propriam conscientiam attendere, per quam certior fiet quisque, quam egregie verum sit, *unius ac simplicis ideae, in plures distractionem, viam sternere infinitis prope erroribus; quare nemo ambiget, qui percipit, quam multa a primis annis corpori tribuimus, quae re tamen vera, menti essent adscribenda. Nemo non ad credendum facile inducitur, sensum, verbi gratia, calor, manui quam comburit ignis, inesse; cum tamen cerebro ac menti insit. Quin & omnes sensationes reliquas, in ea parte corporis peragi, ubi solutio continui, seu indebita membri dispositio contigit: ut ex altera parte, quae sunt ideae substantiae extensae, saepe admiscemus animae seu menti; quomodo multi sibi*

sibi imaginati sunt animam, haud secus ac corpus, locum repleturam, illamque non esse, si nusquam sit, quæ tamen proprietates ad corpora tantum referuntur. Ex hac mixtura ortum habuit impius illorum error, qui animam immortalitate privarunt, qua de re Augustinus pulcerrime disputat cap. 10. de Trinitate. Dicitis ut major affulgeat lux, non prætereunda videntur aurea Platonis & post ipsum Ciceronis verba: Nos enim **ore** nunc quidem ea oculis cernimus, quæ videmus; neque enim est ullus sensus in corpore. Viæ quasi quædam sunt, ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatæ; itaque sæpe aut cogitatione aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris oculis & auribus nec videmus nec audimus, ut facile intelligi possit, animum & videre, & audire, non eas partes, quæ quasi fenestræ sunt animi. Verum plura de hisce adferre, ratio non fert instituti, aures potius nostras ita asvescendas esse existimamus, ut omnia quidem audiamus, sed nil nisi bonum verumque; in animum admittamus.

Th. VIII.

Thef. VIII.

Ut pateat, quid per veritatis definitiones, paulo ante a nobis adductas, designetur, curatius non nihil in naturam ipsarum inquirere animus est. Veritas, diximus, est, quæ cum sua cõvenit idea, quam intellectus de ea habet: ad hunc modum; Deus est verus Deus, quia conformis est illi ideæ, quam ipse de se Ente infinito & perfectissimo fovet. Lapis non est verus Deus, sive id, quod nomine Dei, seu entis perfectissimi significatur, quia non convenit definitioni, quam noster intellectus Deo tribuit. Mens æstimatur vera, quia illi convenit ideæ, quæ aliquam includit cogitationem, h. e. Mens vera est, quoniam essentiam ipsius considerantes, invenimus illam esse cogitantem i. e. perpetuum actum, adeoque conscium omnium eorum, quæ in ipsa fiunt. Alia statim ex hoc fluit veritas, quicquid nimirum nobis accidit, cujus nullam habemus conscientiam, mentem non esse in causa, quod fiat, & quodcunque modo nec directo nec indirecto, a cogita-

gitationibus ejus provenit, ei plane contrarium & oppositum esse; quod extensionem, radicem utpote & fundamentum omnium eorum, quæ in corporibus evidentè & distinctè percipiuntur, appellamus. Tanta enim pugna est inter hæc duo attributa essentialia, classisque rerum summas, cogitationem & extensionem, nulla unquam concipi possit cogitatio, nec contra, dici namque non potest, cogitatio vel longa, vel lata, vel profunda: nec ullâ partium habet figuram, aut ullam divisibilitatem; hæc enim omnia negari & auferri possunt, ipsa mentis idea salva integraque manente. Argentum vocamus verum, quod cum sua convenit notione, circulus verus censetur, qui convenientiam habet cum definitione sua, h. e. qui exactè ad regulas Mathematicorum ducitur, seu in cujus idea nihil est, nisi plana rotunditas, eaque exacta, seu rotunda planities, vel rotundum planum continetur.

Th. IX.

Ex hoc, quod qualibet res, ut sæpius jam innuimus, cum sua idea debita

tam habet convenientiam, ut quæ nihil aliud dicit, quam essentialis & naturalis ipsius representationem, perspicuum est, unum quodque ens, in quantum ens, verum esse; & quod a se ipso independens est, necessariam etiam habeat existentiam, perfectiones omnes completas & reales, existentiam in essentiali, a nullo alio obtineat, quod sit verum; quod autem dependens, hoc est, ab alio, dependenter quoque verum est, ut omnium quæ in eo sunt, in quibus vel minima invenitur realitas, causa ac rationes extra illud sint requirendæ. Quemadmodum enim Deus, quatenus solus est a se positive, solus ratio & causa sui est, solusque qui dicat sum qui sum; ita etiam summam veritatem in se ipso revera habet; quia ille ipse est rerum cunctarum, extra se existentium, prima & radicalis causa ac norma, ad quam omnia deinceps sunt composita: quam quoque ob rem, reliquæ res creatæ dicuntur veræ, quia justam cum beneplacito divino consonantiam ostendunt. Huic sententiæ calculum addit Augustinus T. 1. soliloquior. l.

2. c. 5. Verum est, inquit, id, quod est, quia tale est, quale Deus vidit ab æterno futurum. Illud autem verum esse omnes dicunt, quod tale est revera, quale distincte percipitur. Neq; a sensu hujus testimonii ablutit Alex: ab Alex: 2. Metaph: Verum omne ex hoc est verum, quia aliquo modo assequitur primum verum. Impossibile enim est, aliquam dari imaginem, aliquod esse ens creatum, aliquod inveniri εἶtypon, quod difforme sit a suo prototypo, sua principali causa ac norma, suo exemplari, id est, quod alio se habeat modo, quam illud concipit divinus intellectus; præsertim cum, ut loquitur Poiret l. 3. c. 10. nihil sit sui ipsius fundamentum & ratio, præter unum Deum, qui in omnibus ita videt, ut ejus placitum sit vis omnium.

Th. X.

Considerata itaque veritate in genere, cum in Ente summo sive Deo, tum in aliis, quæ ab illo dependent in Esse & conservari, veritatem in specie quoque contemplerur, quatenus illa spectatur, vel in iis, quæ a Deo revelata sunt, sive

quæ

quæ in sacris literis continentur, vel in iis, quæ a ratiocinio humano tantum dependent. Quod præstare commo-
diori via non possumus, quam si diligenter ad regulas, a Logicis nobis circa omnem disciplinam ab aliis dignoscendâ præscriptas, advertamus. Illas ergo ad-
euntes, invenimus omnem disciplinam, suo non tantum objecto, tamquam basi ac fundamento, in quod omnia reliqua, quæcunq; in illa contineantur, collineant; verū etiam principio ac fine gaudere, quorū ope, sive in Theologia, sive in Philosophia, a reliquis omnibus distingvatur necesse est. Jam ad trutinam regularum Logices tria hæc expendentibus, obscurum non erit, Theologiam ea contemplari, quæ vires ingenii humani plane superant; Philosophiam autem, quæ rationi, utpote veritatis indagatrici sunt obvia. Alterum illud *καταμετρίως*, quo unum ab alio distinguimus foro, non male constituimus cujuslibet disciplinæ principium; quemadmodum enim Theologia revelationem, rationem autē pro principio Philosophia agnoscit; adun-
B 2 dent

dem etiam modum Theologus fide firmiter retinet, quæcumq; sacræ Dei literæ credenda proposuerit; Philosophus autem iudicat esse verum, quod evidentibus probari queat rationibus. Uterius denique progrediendo, observamus, finem Theologiæ, æternam generis humani salutem spectare, quam summum Numen, abunde satis in sacro codice nobis reddidit manifestam; Philosophiã tantam mortalibus spondere felicitatem, quantã naturali mentis lumine obtineri liceat. Stante igitur hac sententia, quilibet se. disciplinam suis circumscribit limitibus, suisq; contineri cancelis, extra quos divagari nefas prorsus ducitur. Confesso etiã est illius non esse, quatenus Theologi, extra pomeria sacræ paginæ excurrere, ac ea in se discutienda recipere, ad quæ ratio tanquã cynosura non duxerit: ut nec hujus, sacratissimum Dei verbum, suæ, h. e. humanæ rationi subijcere, adque examen ipsius revocare, quod ad æternam salutis contemplationem pertinet; quamdiu enim in hoc campo versatur, nihil affirmet statuatur, cur

ius ipse claram & distinctã non habeat ideam, ne terminos suos transgrediendo, *μὴ βασιλεὺς ἀλλοφροσ* committere arguatur. Hinc omnino sequitur, philosophiam in se & in abstracto, Theologiæ veræ non esse contrariam; verum si ejusmodi contigerit, Philosophiæ idiplum in cõcreto, ut eleganter docet Becker, i. e. ejus Doctoribus tribuendum erit. Juxta vulgare illud: vitia artificum non sunt imputanda arti. Veritas enim bonitatem æmularur, & sic ut bonum bono non contra venit, sed convenit, ita quoq; veritas veritati non contrariatur. Unde Philos. in epist. ad Dinet. p. 152: Quantum ad Theologiam, inquit, impietas est timere, ne veritates in Philosophia inventæ, iis, quæ sunt de fide, adversentur, cum veritas una alteri adversari nunquam possit. Nec ab hoc dissentit modo nominatus Balt. Becker in admonitione de Philosophia Cartesiana, ubi dicit. Quod Philosophiæ aperte repugnat, Theologicè credi omnino nequit; nec Philosophice sciri, quod scriptura negat. Caveant proinde sibi, rationes causasq; rerum

rum naturalium ex sacris petentes, my-
ste itaq; divina ad suam ingenii aciem, ut
hebetem satis, labilemque, imo ad hæc
cœcam plane, ponderantes; ne, dum
falces in alienam mittunt messem, ole-
um & operam, ut dici solet, perdant.

Th. XI.

Patet itaq; non tantum discrimen in-
ter Theologiam & Philosophiam, sed
& convenientiam satis magnam, imo
vero micam quandã, inter omnes disci-
plinas esse conspirationem, veritatemque
non nisi unã manere. Labet hoc ampli-
us locum a ponere ex clar. Calovii Me-
taph: divina, e usq; verba ad nostrum ac-
commodare scopum, ubi hunc in mo-
dum nervose admodum differit: Constat
igitur quod non sit duplex, eaq; oppo-
sita veritas: quodque proscribendum o-
mnino e Philosophia illud *πλοτεῦται*:
Falsum est in Theologia; verum in Phi-
losophia, & vice versa. Quia veritas co-
gnitionis Theologica est adæquatio no-
tionum mentis, cum rebus revelatis. Ve-
ritas Philosophica est adæquatio notio-
num cum rebus lumine rationis cognitis,
vel

vel quas pro subjecto agnoscit Philoso-
phia. Nulla ergo hic oppositio. Con-
tradictio est de eodem & circa idẽ, quod
hic non datur. Quod ipsum Dn. Men-
tzerus illustrat hoc modo: si quæras, sit
ne eadem veritas Grammatica & Rhetor-
ica, æq; absurdus es, ac si quæras, sit
ne tropus triangularis. Idem de veritate
Theologica & Philosophica dicere licet,
Deus æque verax est in creatione, ac in
revelatione, quum se ipsum abnegare nõ
possit. Dispiciamus objecta. Proposi-
tiones ratione veritatis sunt, vel pure
Theologicae, vel mixtæ. Illæ, quas uni-
ce tradit Philosophia, ignorat Theologia.
Istæ, quæ in Theologia traditæ, Philoso-
phiæ plane sũt ignotæ. Hæ, quas utraq;
& Theologia & Philosophia agnoscit &
proponit. Primæ si veræ sint in Philo-
sophia, ipsis minime contradicit Theo-
logia, quum eas ignoret. Secundæ in
Theologia certitudinem suã obtinentes,
nullatenus rejiciũtur a Philosophia, quod
captum ejus excedant. Tertiæ neutiquã
possunt ab una probari, ab altera repro-
bari: cum impossibile sit, idem simul esse
&

& non esse. &c. Quid ergo hifce dilucidius, quid explicatius dici possit? Hæc ipsa certe, si quis illustrare conaretur, nã ex maxime claris ac perspicuis, omnia obscura ac inevidentia faceret.

Th. XII.

Hactenus, si non pertractavimus, leviter saltem, ut ratio instituti postulabat, attingimus ea, quæ facere videbantur ad veritatem universalem ejusq; explicacionem, sc. veritatem, ut antea dictum, non nisi unam esse, eamq; a placito divino ortum ducere, & talem permanere, cum omni eo, quod recte veri nomen gerit, certaq; natura & essentia est præditum, qualem statuere supremo placuerit Numini; adeo ut omnia & dependentia sint a nutu & voluntate Dei, & vera, quia Deo sic visum fuit ea statuere, nec hominem quidquam auctoritatis, dominii & juris, in ulla rerum ideas, formas, naturas, essentias, proprietates, veritates & earum existentiam habere; quippe qui tanta potentia ac perfectione donatus non est, ut ullam veritatem ponere valeat. Excipit proinde
justo

justo nunc ordine, quod vero opponitur, utpote fictum, imaginarium, suppositum, apparens. & cum primis falsum. Ex ante dictis obscurum nemini esse poterit, quid nomine falsi designetur, cum contrarii unius definitio, naturam statim contrarii alterius exprimat: nimirum, falsum dicimus ens, quod nullam admittit convenientiam cum idea & conceptu illo, cum quo convenire creditur. Quemadmodum Deus ligneus (imago lignea) dicitur falsus, propterea quod cum vera veri Dei notione ac idea, quam sanioris mentis mortales habent, nolq; sacra docent litera, non congruit. Mens, seu anima, quam multi sibi vel cum Epicuro rarissimum ex atomis aërem; vel etiam stoicis aërem accensum; vel etiam cum veteribus Manichæis, quandã celestis lucis particulam imaginabantur, vocatur falsa, quia a vera ipsius definitione digreditur. Extensio, quam aliqui pro modo substantiæ accipiunt, quatenus nempe unum idemq; corpus, v. g. cera, retinendo suam quantitatem substantialemq; extensionem, pluribus ac diversis modis

modis potest extendi, vocatur falsa, quod a vero ipsius conceptu, rectæ rationi cōveniente, Philosophisq; usitato, dissentit. Argentum æstimatur falsum, quod speciem tantum Argenti secum fert, nec veræ ejus essentia consentit. Monetam, seu pecuniam dicimus falsam ac adulteratam, quæ pondere ac facie externa veræ licet æquivalens sit, statutis tamen summi imperantis, cui soli jus cudendi monetam competit, Pufend. Off. Hom. & Civ. l. 1. c. 4. §. 9. Add. Elem Jurisprud: univers. l. 1. definitione 10. §. 3. materiæq; speciei non respondet. Artem Musices callentes, falsum ac apparentem asserunt sonum (eu falsē thoon) qui modulis ex asse non consonat. Lætitia, vero non inædificata fundamento, pronuntiatur falsa, quippe quæ, spe ac bona intentione nostra nos deiecit; unde Terentianus iste in hanc sententiam adposita admodum: Ne me in lætitiā frustra conjicias. Heaut. Act. 2. Sc. 2.

Th. XIII.

Qui justa lance ea perpendere non gravatur, quæ proxime præcedenti paragrapho

paragrapho deduximus, eum nec latere posse videtur, *falsum, qua falsum, nullum esse Ens; & proinde falsitatem nullius rei esse proprietatem, Falsus enim Deus, ut cunq; existimeretur esse Deus, haud tñ. est Deus. Falsum aurum, licet ob splendorem externamq; speciem ac polituram, a vulgo interdum accipiatur pro vero, nullo tamen modo est aurum. Cælum male a nonnullis crystallinæ naturæ creditum, ut ut pro vero cælo habeatur, minime tamen gentium est cælum. Tonus, quem artis Musices periti dicunt falsum, quamvis non omnem tollat tonum, (negativa enim juxta canonem receptum, non semper totam negant rem vel habitum, ut sæpe partem vel gradum ejus duntaxat; sicut, inquit Seneca, illiteratum dicimus, non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum) tollit tamen illum, qui ad tenorem Musices esse deberet. Qua ex re liquido constat, unumquodq; tantum habere veritatis, quantum hujus vel illius, de qua agitur, Entitatis.*

Th. XIV.

Supra inter causas errorum, etiam con-

confusionem idearū in perplurimos nos deducere errores monstravimus: res n. ad suos fontes ac ideas dum referunt homines, sapius eas non ad suas, i. e. veras illarum ideas reducunt, sed a recta ratione non modo, verum etiam a rebus ipsis profus alienas, ab iisque longe distitas; hinc ergo ille falsitatis ac errorum lacrimæ, hinc divortia illa sententiarum ac ratiocinationum. Unde quem admodum iter factoris interdum usu venit, ut, dum semel de via deflexere recta, ex uno postea in alium se conijciant labyrinthum; sic quoque, ubi primum a veritate deflexerunt, sui amplius vix compotes, ideas quasdam cōfusas ac obscuras e contrario ad res, quarum ideae non sunt, reducunt. Quam ob rem, quoniam ejusmodi ideae, non res tanquam res, non tales ut tales representant, occasionemq; de vero aberrandi scopo nobis dant, easdem suo merito falsas esse affirmamus. Præter exempla prioribus thesibus a nobis prolata, nec non a Cartesio Princip. 2. §. 9. confusam substantiæ corporeæ ideam commonstrant; idem etiam

etiam Cartesius hoc ipsum adprobat Meditatione 3. in qua, post adstructam idearum claritatem certitudinemq;, confusarum & obscurarum mentionem quoque facit: Lumen, inquit, & colores, soni, odores, sapes, calor & frigus, aliæq; tactiles qualitates, non nisi valde confuse & obscure a me cogitantur, adeo ut etiam ignorem, an sunt rerum quarundā ideæ, an non rerum: quamvis enim falsitatem proprie dictam sive formalem non nisi in judiciis reperiri, paulo antea notaverim, est tñ. profecto quædam alia falsitas materialis in ideis, cum nō rem tanquam rem representant: ita, exempli causa, ideæ quas habeo caloris & frigoris tam parum claræ & distinctæ sunt, ut ab iis discere non possim an frigus sit tantum privatio caloris, vel calor privatio frigoris, vel utramq; sit realis qualitas, vel neutrum; & quia nullæ ideæ, nisi tanquam rerum esse possant, siquidē verum sit frigus nihil aliud esse quam privationem caloris, ideæ quæ mihi illud tanquam reale quid & positivum representat, non immerito falsa dicitur, & sic

& sic de ceteris. Inter falsas ideas jure merito habenda quoque est Dei idea, qua communiter a vulgo concipitur ut quispiam, homini magna ætate proveccto similis. Grandiorem adhuc idearum confusarum & obscurarum molem ex moralibus coacervare possemus, ni promissa id ipsum brevitatis prohiberet; contenti igitur hisce adductis exemplis, B. L. ad Auct: de arte cogit: remissum volumus, ex quo numerum idearum confusarum satis magnum eruere licebit.

Thef. XV.

In consideranda autem entium natura, cum simus occupati, præterire nobis haud integrum fuerit, receptas loquendi formulas, quas ad significandam rerum falsitatem adhibere solemus. Verum enim & falsum, etsi contradistingvantur, ac immediate opponantur; verbis tamen iisdem ad falsi tanquam entis alicujus, quibus ad veri naturam exprimendam utimur: usitatius quippe nihil est, quam adseverare hunc verissimum esse errorem, illud verum mendacium, hoc revera falsum, illam

iterum

iterum veram malitiam &c. nixi hoc potissimum fundamento, quod idea seu notioni horum omnium optime convenit. In plano proinde est, quamvis nihil præter solum ens proprie sit, verum, tamen non enti interdum, haud aliter ac si ens esset, elogium veritatis applicari. Omne ens, ut ut verum proprie sic dictum adstruamus, adeo ut unum præ alio, nullam habere videatur prærogativam; si attentius tamen entia introspeciamus, non omnia æque vera esse certo certius constabit, sed minus alia, alia magis idea ac definitioni isti entis, ad quam referuntur competent.

Thef. XVI.

Quod ut melius perceptu evadat, ideas nonnullas percurrere statuimus, ex quarum inspectione facili negotio cognosci poterit, cuinam illarum potiori jure nomen conveniet substantiæ. Ideas siue cogitationes in se spectatas expedientes, videmus quidem statim illas, quatenus quidam sunt cogitandi modi, diversæque percipiendi formæ, nullam admittere differentiam; in relatione au-

tem

tem ad res quas representant diversas, ingentem admodum inter ipsas intercedere diversitatem. Nam extra omnem dubitandi rationem, idea, quæ nobis proponit cogitationem æternam, infinitam, omnisciam, omnipotentem, perfectissimam, independentem, plus realitatis objectivæ in se continet, adeoque majori sibi jure nomen tribuit entis; quam quæ ens finitum, pauca sciens, minus potens perfectumque ac dependens exhibet. Nec dubitare nos sinit idea, quæ substantias nobis representat, quin majus quid perfectiusque involvat, ideoque plus realitatis objectivæ in se habeat, quam quæ accidentia rerumve modos adfert. Ex præceptis enim Philosphiæ notissimum est, omnem effectum suam arguere causam efficientem, in qua tantumdem minimum erit, quantum in ejusdem reperitur effectu; ex quo luce clarius est ideas nostras, quas nonnulli pro nihilo venditant, non tantum non esse nihil, merumque figmentum; verum etiam certissimam suæ existentiz agnoscere causam

am, eoq; plus realitatis in se continet, quo res quas representant, plus habent entitatis.

Tb. XVII.

Ultimam jam manum levi huic scripto imposituri, ut in aliis omnibus, ita in hoc potissimum negotio, non uno profecto nomine infelices, prohi dolor! cernimus multos, quod fictum falsumque plus interdum afficiat illos, quam ipsam verum, auresq; sæpius commodent benevolentiores, speciosis minusq; veris, quam iis, quæ verissima sunt; imperfectionem ac dementiam hoc modo suam aperiètes, quod exteriora & accessoria magis curent, quam internam veritatem, præcipuamq; rerum naturam, utpote prima fronte inconspicuam fortassis, luminisq; illis ideo non affulgentem satis, parum scrutentur. Similes in eo hominibus plebeis, qui pictura, quæ coloribus vividis & rutilantibus fulget, multo magis capiuntur, quam alia quavis subobscura, licet propter ipsam operis delineationem admiranda, Auct. de arte cogit. Verum quid multa? illi qui re-

Ata ducuntur ratione, nec præcipit,
 nimis in judiciis de rebus ferendis fun-
 priusquam distincte ipsas habeat perspici-
 etas, veritatem non modo elicere, sed
 & illam a fictione falsoque optime di-
 gnoscere poterunt, videntes illam non
 tantum durabiliorem, verum etiam æ-
 ternum mansuram, animasque ipsorum
 servaturam. Hisce, Lector Candide,
 paucissimis, veris utinam suis coloribus
 veritatem, quam diximus commuem,
 adumbrare voluimus. Accipe igitur be-
 nigne, teq; facilem nobis præbe cōforem.

Veritatis fonti JESU CHRISTO sicut
 laus, potentia, virtus & gloria in
 secula nunquam termi-
 nanda.



Diu multumq; agitata controversia,
*De genuina & probata, probandaq;
 Græci Labij nobilissimi*

LECTIONE ET PRO- NUNCIATIONE,

Superstitiosa & frivole præconcepta
 antiquitatis *κακογλία* eruta, vindicata & le-
 gitimo ac proprio nitore atq; usui restituta, ac
 soliditate ipsa solidioribus fundamentis
 stipata confirmataq; ,

Per duos Scholæ Wolgastane alumnos

M. PETRI GRABOVII
 ejus Rectoris discipulos,

*Actu oratorio ex præceptoris, solertissimè tra-
 ditionibus excerpta & producta publiciq; juris facta, eo
 sine & voto ut porro omnes & singuli unanimiter in id
 curas & cogitationes conjiciant, quo simplex & uni-
 formis G. L. legendi & prounciandi ratio in scholis
 tradatur & conservetur, ne subinde ad alias atq; alias
 scholas accedentes dediscere oporteat a-
 dolescentes, prius memoriæ
 infixa.*

GRYPHISVALDIÆ,

Typis Iohannis Albini, Anno M. DC. XIX.